



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome  
Controuersiarum Omnium huius Aeui  
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis  
Quadripertitis digestarum**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Mogvntiae, 1624**

LXXIII. An Sancti, corpori exsoluti degant in coelis beati?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11726**

QVINTINVS, Sutor & autor Libertinorum, teste Caluino *lib. de instruct. contra Libert. c. 9.* in Sanctos petulantissimus, Paulum appellat *Vas contractum*; Ioannem Iuuenem *solidum*; Matthaeum *generatorem*; Petrum, Christi *abnegatorem*.

CALVINVS istam verè & seuerè arguit impietatis sed ipse impietate immanior fuit. 1. Nam Veteris Testamenti Sanctos prolecidit *Instit. lib. 3. cap. 14. §. 11.*

Abrahamum idololatram facit. *c. 2. §. 31* Sara peccauit ei ancillam viro supponens. Rebecca imposturis Dei Veritatem corripit, Iacobum mentiri coegit. Iudas, *l. 3. c. 5. §. 8.* vir præposteri Zeli, pro mortuis sacrificium fecit. Sephora, *lib. 4. c. 15. §. 20.* stulta mulier peccauit, filium circumcidens. &c. Moyses, *in 32. Exod.* imperiosè legem Deo præcipit, suâque eum exiit iustitiâ.

2. Novi Testamenti Sanctos inuocatos, ait, habere aures oportere à cælo ad terram porrectas, si exaudire debeant. *Instit. l. 3. c. 20. §. 27.* Appellat *Mortuos, Vmbras, Laruas, Colluuiem*: In lib. de vera Ecclesiæ reformat. vocat *Monstra, carnifices, bestias.*

AUTOR. Nec seruos suos sic appellari tulisset. Christe, talia qui tuleris? Tu de talibus dicis ac spondes, Apoc. 6. *Si quis vicerit, dabo ei sedere in Throno meo; sicut ego vici, & sedi in Throno Patris mei.* Nos tecum, Christe, contra Hagiomachos tales, Lutheri, Caluinique Maiores Porphyrium, Iulianum, Vigilantium, Wiclefium, &c. stabimus irretorto oculo, pede irremoto. *Tu nos Adiuua.* Lector consulat doctissimum Nic: Serarium in *Litaneyico lib. 2. c. 14. 16.* de prædictis Caluini monstrosis calumniis in Sanctos.

### QVÆSTIO LXXIII.

*An Sancti corpore exsoluti sint in cælis beati?*

LVTHERVSIS prælest in Genesin, teste Fri. Staphilo in *par. 2. Theol. Luth. Negat.*

CALVINVS *Instit. l. 3. c. 20. 29.* Solum

Christum vult in Sancta Sanctorum Introgressum; reliquos residere in atrio advsque mundi consummationem. *Ibid §. 24.* Animas dicit eas fide & spe nobiscum coniunctas eadem: proinde vitio careere beata. *cap. 25. §. 6.* *Stultum, aut, & temerarium querere, quo in loco sint anime iustorum, & an gloria fruantur* & ipse non frui audacter definit. Vide *suprà quæst. 67. & in mea Genealog. part. 1. quæst. 18.*

Qua eadem in hæresi olim hæserunt, (præter Tertull. & Vigilantium) etiam ARMENI, teste Guidone in *Summa de heret.* Et GRÆCI, teste S. Thoma in *Opusc. 6. c. 9.* Hi argumenta mouent, quibus nostrates pugnant Nouatotes.

SVADENT verò istis. 1. *Matth. 20.* Merces operariis datur ad vesperam: id est, plena beatitudo post extremum iudicium. 2. *Hebr. 11.* *Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissiones; Deo pro nobis aliquid melius prouidente ut non sine nobis consummarentur.* 3. *Apoc. 6.* *Vidi sub altari animas intersectorum.*

4. S. Patres Græci, Latinique sic docent, post extremum iudicium Sanctos primum fore beatos, quando præmia & pœnæ cuique tribuentur.

5. Nec Christi anima protinus à morte cælos beata petiuit: in inferno degit advsque resurrectionem: sic & nostræ, quarum exemplar est Christus.

6. Vel demones ipsi punientur post iudicium extr. non iam. Vnde *Matth. 8.* *Veniisti ante tempus torquere nos: Luc. 8.* *Deprecabantur eum, ne imperaret illis, ut in Abyssum irent.*

7. *Ioan. Scharpius Scotobritannus in Cursu Theol. p. 2. c. 37. q. 1.* arguit Bellarminum falsi, quod dicat Caluinum negare Sanctos in Dei visionem admissos esse: asseritque nobiscum multis sententiam Catholicam.

AUTOR. Plurima hic paucis decidenda videntur.

I. In Veteri Test. clausam cæli viam Christi

Christus in Nouo referauit, perruptoque velo Tabernaculi cessarunt figuræ; & in cœli Sanctuarium è Lympo S. Patres sūt introducti. 1. Hinc in nouo Testam. S. Patres omnes docent inuocandos esse Sanctos; quod in Veteri, vt nefas, nequaquam sic, vt hodie licebat. 2. Hinc ante Christi aduentum mors Sanctoꝝ plangebatur: at post festiuè commemoratur. 3. Neque prior ad pœnas Deus est, quam ad præmia: at improbos gehennâ punit, *Luc. 16.* Quocirca potius iustos cœlesti gloria remuneratur.

II. Si quando Patrum quidam dicunt, Sanctos ante iudicium extremum non esse beatos; aut non videre Deum: id omninò de consummata Corporum cum animabus beatitate ac visione dicere sunt intelligendi: Cæteroquin ipsi sibi læpius contradixissent.

III. Neque iustè videri iniustum potest animas ante corpora beari; 1. Cum anima separata, non corpus solum, sit gloriæ capax. 2. Et cum anima præcipuè ad meritorum cumulum extruendum operetur; corpus verò duntaxat vt instrumentum cooperetur. 3. Tum etiam vtriusque vnum est suppositum personale; quocirca præstat alteram partem ad tempus felicitate solam perfrui, quam neutram. 4. Nubè SS. Patrum adducit Bellarm. *lib. 1. de Sanctis cap. 4. s.* & *Rationum cap. 6.* Vide etiam in meo *Antichristop. 1. quest. 21.* inque *Mendace Antipap. par. 1. q. 4.*

DICO AD I. Merces particularis & imperfecta datur ad vespèram cuiusque vitæ: Vniuersalis in consummatione omnium.

AD II. Repromissiones, 1. De Mes-

sa illi acceperunt: nos Ipsismet. 2. De beatitudine per Christi Ascensionè accipienda illi: nos ipsam accipimus. 3. Vtrique accepimus repromissiones de beatitate consummata post extr. iudiciū omnibus impertienda.

AD III. Altare Christus est; per quem omnia Sacrificia offeruntur: & sub eo Sancti isthic sunt gloriosi; sicut hic victoriosi extiterunt.

AD IV. S. Patres vtrique stant certatim pro nobis, etiam ij quos contra nos producant. Nam hi de incompleta beatitudine loquuntur iam data; de perfecta verò post iudicium danda. Nā tunc anima beator erit Extensiuè, scil. etiam quoad corpus, in gloria essentiali. Ita *D. Th. 2. q. 4. c. 8.* qui prius, *113. d. 49. q. 1. a. 4.* senterat, etiam Intensiuè maiorem fore beatitudinem Sanctoꝝ, Sicque videtur definisse Benedictus 12. Continuari gloriam Sanctoꝝ. Non igitur iudicium generale est superuacaneum, ob V. causas: *Bellarm. lib. 1. de Sanct. c. 6.* Nec iniustum est, animam sine corpore beari; tametsi non sine eo laborarit.

AD V. Christi Anima non ascendit in cœlum corporeum: quia ab instanti Incarnationis fuit beata, quod est Esse in cœlo. Deinde Corpus Christi est nostro exemplar moriendo, quiescendo, resurgendo & ascendendo: non autem ad inferos descendendo: quia venit vt viam monstraret nobis ad cœlos.

AD VI. Dæmones sunt damnati & dira perpetuantur, vbi vbi sint, etiam in aère: nam gehennam circumferunt, ait S. Bonauent. Attaman pœnam completam recipient in iudicio extremo Et hęc

horrent, ac deprecantur. Sicque Patres sunt intelligendi, ut docet te *Bellarminus ibidem*.

AD VII. Impudens sycophantia est: solum error typographi irrepsit, posito *lib. 4. pro lib. 3. Inst.*

### QVÆSTIO LXXVI.

*Num certus sit Canonismus ad agnoscendos, colendosq; Sanctos?*

**L**UTHERANI pariter & CALVINISTÆ pernegant omnē Canonismū, rident, detestantur: ipsumque Diris deuouent Papam canonizantem; cuius ut omnia diffamant ceu Antichristiana; sic & Sanctorum canonizationem esse calumniantur Idololatricam ἀποθεωσιν.

SVADENT istis apud Scharpium Scotobritannum in Cursu Theol. Sect. 37. q. 2. 1. Canonizationis nec mandatum; nec exemplum est in Scriptura; Et Papam in ea posse errare concedit Bellarminus. 2. August. *Multorum corpora honorantur in terris, quorum anime torquentur in gehenna. Quia hypocrisis soli Deo noti sunt.* 3. Solus Deus nouit, qui sunt sui. 4. Leo III. cepit canonismum: at tunc regnauit Antichristus. 5. Bellarm. c. 3. concedit damnatos pro beatis cultos. 6. Recensio Sanctorum in Scriptura non est canonizatio ad cultum, sed ad imitationem. Dein etiam impii recensentur.

AUTOR. Quid agastalibus? Quo purget quis hellebero voluntariē intancens cerebrum? Serion' cum istis, an agam ridiculō?

I. Sed agam more ipsorum suo. 1. Vide age sis Luthero-caluinisticos Canonismos. In Lutherano teatro apud Doctiss. Serarium l. 2. Litaneutici c. 4. vocatur *Lutherus Sanctus Pater*. Quin i plede se ipso talia in Colloq. Mensal.

fol. 492. *Ego sum Vir Dei*. In tom. 2. Ien. fol. 92. b. *Ego sum Sanctus Dei*. In tom. 1. Ien. fol. 353. b. *Ego sum Sanctus Domini*. In tom. 2. Ien. fol. 49. a. *Ego sum Angelus*. Ibidem fol. 68. a. *Verbum meum est Christi Verbum; os meum est os Christi. Quid plura? Beatus venter, qui me portauit*. NB. Hæc verba reperiuntur in editione prima: in postrema omittuntur. Vide sui canonizatorem, ac tantum non pene Apotheosistam.

2. Lutherus an non in prophetiis suis, c. de Papatu, apud Georg. Waltherum ait: *Sanctus Ioannes Huss de me prophetauit*. De Luthero Calvinista Sibrandus lib. 4. c. 1. ait, *Sanctissimus Christi seruus*: Sic idem alibi *Caluinum* appellat: *Caluinus Oecolampadium*, epist. 52.

3. Videntur autem hoc inuidiæ læ in Coelites à Bogomilis hæreticis fuisse: quorum amentia dixit in Euāgelio præcipi, *Dæmonia, ne nocerent, colenda*; teste Euthymio. Qui iidem cum SS. Patrum aliquem nominabant, noluerunt Sanctitatis elogium præfari. At qui per Calvinistarum impietas Parisiis publicè nota est, & damnata. *Petrum, Paulum* dicunt, scribunt; non *S. Petrum, S. Paulū*: Cum suum *Caluinum Sodomiticum* non citra præfationem *Monfieur* appellent; ut notat Serarius in *Tobiam cap. 2. quæst. 1.*

4. Notauit & D. Driel in sica Antipericope Pareana, pag. 22. Sacram ædem Heideldergæ ad *S. Spiritum* non vocari, sed duntaxat ad *Spiritum*. Testantur idē Lutherani Heiderbergā pulsi Prædicantes, libro Tubingæ edito, anno 1585. pag. 21. 31. 32. 54.

5. Similiter olim Leo & Copronymus

mus